



- I. Bericht vom Abschied d. Bernhartten zu Anhalt-Reine-
ben Zmeym Leisprecht.
- II. Leisprecht Georg Gemrigen zu Braunshweig.
- III. Abschied v. Leisprecht G. Albrecht Kayser.
- IV. Abschied h. Eustachii Prünzer in Ammanroch
- V. Bericht vom Mord zu Montalto in Neapoli bey Augustin
- VI. Carmen De Vita et Obitu Bernhardi Principis Anhaltini.
- VII. Oratio de Vita et Morte Dni Christophori Ducis Wirtenbergici.
- VIII. Elegia in Obitum Agnes conjugis Joachimi Ernesti Pr. Anhaltini.

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

A

Nee u

9
10.
ELEGIA
IN OBITVM HO-
NESTISSIMÆ ET PV-
DICISSIMÆ FœMINÆ,
pietate & uirtute præstantis, HELENÆ
KVFNERINÆ, coniugis Reuerendi &
Clariss. uiri Domini D. PAULI EBE-
RI, Pastoris Ecclesiæ VVitebergensis,
quæ placidè in Christo obiit

22. Iulij, Anno
1569.

SCRIPTA

^a
FRIDERICO VVIDE.
BRANDO.



VVITEBERGÆ
ANNO M. D. LXIX.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is difficult to decipher due to its lightness and the texture of the paper.



MARITVS LO
QVITVR.

ERgo tot infelix curis obnoxius antè
Non satis infelix aut miser antè fui,
Corporis æumnas tot uulnera pectoris æger
Dura domi passus, passus acerba foris?
Ni nouus ad ueteres dolor insuper iste dolores
Absoluat numeris omnibus omne malum.
Vt quæ pars animæ fuit & uita altera uitæ,
Costaq; de costis corporis una mei.
Nunc erepta seni, dilecto erepta marito
Tristis ab amplexu coniugis uxor eat.
Ergo iaces Helene, mea lux, mea cura, meū cor,
Corporis è lumbis eruta costa mei.
Vna caro de carne, meis os ab ossibus unum,
In cineres Helene morte soluta iaces.
Quinq; mihi lustris & nunc tribus insuper annis
Fida tori consors iuncta fauore Dei.
Hei mihi, cum fidei & uirtutum dona tuarum,
Tempore iam tanto cognita, mente noto:
Quàm dolor hic ingens? altè quàm uulnus adactum est,
Dum meminisse iuuat, quæ meminisse dolet?
Vera tibi curæ pietas, tua summa uoluptas,
Quem coleres toto pectore, Christus erat.
Quem precibus deuota pijs in uota uocabas,
Cui uitæ studium seruijt omne tuæ.

A 2 Cuius



Cuius in intuitu sanctæ meditatio mentis,
Sacrorumq; tibi lectio semper erat.
Vnde tibi studium constans in amore mariti
Atq; fide maior sæpè probata fides,
Casta pudiciæ sobolisq; domestica custos,
Corporis ornabat quæ generosa decus.
Quas tibi non curas, quæ non insomnia matri
Anxius in natos sæpè facefsit amor?
Quando ter & decies iam facta puerpera Christo,
Et mihi, coniugij pignora cara dabas?
Fida quibus cunctis instillans ubera nutrix,
Sanguinis & propriæ prodiga carnis eras.
Vt cum lacte simul materno è pectore nati
Indolis imbiberent semina casta tuæ.
Quas non ærumnas tibi cura domestica, tanto
Qualem gessisti tempore sola, dedit?
Munia tractantis sibi dum commissa mariti
Hac quoq; præstabas parte benigna uicem.
Sæpè ministerijs seruilibus addita, sæpè
Officio famulæ functa fidelis hera.
Libera quid referam frugalis munera dextræ,
Quæ comparfa domi contulit ampla foris:
Cum bona sæpè tui subtracta à corporis usu,
Pauperibus læto pectore sponte dares?
Cætera uirtutum monumenta arcana tuarum,
Quæ reuerenda uetat cuncta referre pudor,
Nota Deo constant, matronæ symbola sanctæ,
Præsentis templum testificata Dei,

Hei

Hei mihi uirtutum schola quæ domus antè marito
Et medicina, malis quando premebar, erat:
Nunc deserta iacet, nunc mœsta uidetur Eremus,
Dum mea lux Helene, tu meus ardor, abes.
Quò me cunq; fero, dolor undiq; & undiq; luctus,
Omnibus horrescit mortis imago locis.
Te sine nil lætum, sine te nil dulce, quod antè,
Dum licuit tecum uiuere, dulce fuit.
Cara soror, dilecta soror, quondam altera uitæ,
Dum tecum potui uiuere, uita meæ.
Quæ mihi nunc pro te morituro iure superstes
Lumina debueras claudere prima seni.
Antè quidem, fateor, magnorum è morte uirorum
Pro patria luctum sæpè salute tuli.
Funera quin octo natorum uisa parenti
Causa pijs fletus non mediocris erant.
Sed nihil ad præsens collata hæc uulnera uulnus,
Sæuior est quouis iste dolore dolor.
Scilicet ut lenta putrefacta teredine membri
Pars (sed ab incolumi corpore) parua cadit :
Sic dolor è sobolis seu funere tractus amici,
Admittit damni pro ratione modum.
Dum mihi tu moreris, quasi rapta è pectore costa,
Impatiens medici flebile uulnus hiat.
Deferit in senio tandem digressa parentes
Compare cum soboles gaudet adulta tori.
Sola sed ad finem fidissima permanet uxor,
Vna comes uitæ, funeris una comes.


A 3

Triste,

Triste, uirum quoties iam mortua deserit uxor,
Tristius at longè, deseruisse senem.
Cum comitata graui labor ipse labore senectus
Iam magis auxilio, quo releuetur, eget.
Sed tu iusta Deus iustus facis omnia iudex,
Norma quæ iudicij non nisi iusta tui est.
Consilijs perfecta tuis sapientia, quam non
Mens hominis semper perspicit ægra, subest.
Da mihi, da causas & nosse & ferre, malorum,
Ut placida possim mente silere tibi.
Mortalis quæ uidens speculum miserabile uitæ
Viuus in hac discam carne subinde mori.
Scilicet ut saniem remouens ex ulcere nati
Durius atrectat membra tenella pater.
Tristis & inuitus, capitum quæ pericula cari
Dum cauet, hoc nolit damna cauere modo.
Vagitum quæ notans, simul alto pectore secum
Non minùs, ac soboles iam dolet ipsa, dolet:
Sic Deus in nobis uiciosæ morbida carnis
Pœnarum quoties ulcera curat ope:
Ut pater indulgens nostro dolet ipse dolore,
Iam quæ iuuare alia, si queat, arte uelit.
Ast opus externum faciens inuitus, id ipsum,
Ut faciat proprium, ne pereamus, agit.
Debita peccato merces iustissima mors est,
Quæ seu serò uenit, seu citò, certa uenit.
At animam tantum pertœsam carceris huius
Soluit ab immundi corporis exuuijs.

Prins

Principium uitæ, finis suprema malorum,
Omnibus ad cœlum semita certa pijs.
Christe salus mundi, rex uitæ & mortis Iesu,
Cuius in amplexu nascimur & morimur.
Dum tibi sic placuit, quas possum pectore grates,
Non quantas meritò ferre decebat, ago,
Quòd mihi fida tuo talis data munere coniunx
Incolumis tanto tempore iuncta fuit.
Quam mihi nascenti formasti matris in aluo,
Effet ut huc custos corporis usq; mei.
Vnde mihi licuit cum nepte uidere nepotem,
Coniugij cuius sorte beatus eram.
Cumq; tibi nostros seiungere rursus amores
Tam subito uisum mortis agone fuit,
Læta quòd in Christo, nullos experta dolores,
Visa uelut somno est semisopita mori.
Quippe quòd hoc tristi decessit tempore mundi,
Quo non pauca, magis tristia morte, nocent.
Cara uale coniunx Helene, iam non mea coniunx,
Cara meæ quondam coniugis umbra, uale.
Donec & hos fragilis deponens corporis artus,
Te quoq; (mortis abest non procul hora) sequar.
Tunc erit ut cœlo pariter iungamur amantes,
Nullus ubi turbet gaudia nostra dolor.
Hic ubi perpetuus uirtutum præco tuarum
Atq; Deo coram iudice testis ero.
Quod Dominus dederat, Deus abstulit ipse, uoluntas
Eius in æternum sit benedicta. Vale.



Nr 68.

8

ULB Halle 3
003 011 348




f

l.

225





IN
NE
DIC
pietate
KVFM
Clarifs.
RI,

FR

HO
PV
N AE,
ENAE
endi &
EBE
nsis,

10.

